



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Verus Ecclesiasticus Vocationem suam cognoscendi Avidus, Eidemqve Correspondendi Studiosus

Mansi, Giuseppe

Francofurti ad Mœnum, 1693

Cap. X. Otium & joci condemnantur in Ecclesiasticis

urn:nbn:de:hbz:466:1-38106

cujus pretio ac valore, duæ pauperes familia ali potuissent: timebat Bonus Cardinalis clamorem, ac impropagationes mendicorum, qui præ fame moriuntur: *Clamant famelicæ* (scripsit cuidam Archi-Episcopo S. Bernardus Ep. 24. t. 2.) *conqueruntur & decunt; nostrum est, quod effunditur, nobis crudeliter subtrahitur.* Sed id, quod magis deplorabile est, edicit Propheticum Oraculū: *Dederunt pretiosa quaque pro cibo;* *Thren. versu 11.* plures enim ita videntur seducti & quasi fascinati ab effræni, immortificatoque appetitu, ut venalia exhibeant sacramenta, si unus illis detur Regalis, hoc ipsum nefandum scelus confitenti, nec convenientem pœnitentiam, nec debitam imponant satisfactionem, sed claudant oculos scandalis, ac abufibus, nihil curantes ipsam correctionem, ac emendationem.

Caput Decimum.

Otium & joci condemnantur in Ecclesiasticis.

Labor continuus à vocatione nostra debet esse inseparabilis (prout etiam nobis demonstratum est) penitusque à nobis exulare otium, utpote qui sumus destinati, ad mysticam Ecclesiæ colendam vineam. *Quæ*

hic statis tota die otiosi? Improperat Pater familias illis, qui stabant plicatis manibus, tempusque terebant obambulando forū. *Matth. 10.*

Si integros revolvamus Annales Ecclesiasticos, reperiemus ministros sacros maximum sibi formasse serupulum, de vel unico minimo, male impensi temporis momento, atque ideo ad ultimam, usque vitæ periodum, curis ac laboribus implicati, imo consecrati reperiuntur, uti de Paschale secundo acta testantur: *Vir sanctus moriebatur, & operabatur. Mart. Rom.* Valde attentè consideravit Urbanus Secundus, gravissimum illud Christi Salvatoris dictum; *Non veni ministrari, sed ministrare, & animam meam ponere pro ovibus meis:* Hinc postquam manibus suis consecrasset Episcopum Carnotensem Ivonem, eumque sermone efficaci sui admonuisset officii, intulit *Baron. T. II. An. 1192. Quanto magis nos desidiosi servi summi Patris familias, debemus maximo sudore incumbere, oves Dominicas, nobis à summo Pastore consignatas, ad ovile Dominicum, divina suffragante gratia, absque morbo & macula perducere?* Peracta hac paterna admonitione à Sancto Patre, novus Prælati plenus zelo ac spiritu, reversus & ad suam Diocesim hanc insuper instructus saluberrimâ doctrinâ: *Epistol. 10.*
Quan-

Quanto studiosius perversorum temeritas
 audacia, rectitudinis statum labefactare con-
 tur, eo vehementius est eorum improbitati
 sistendum, & Religioni Christianae onfal-
 dum, & lamentabilibus Ecclesiae ruinis ob-
 andum. Quapropter excluso omni
 indefessè vigilandū est supra gregem Christi,
 reputando damnū maximū si in aliud tempus
 impendamus, quam in procuranda salute
 animarum. Dignissimus sancti Augustini
 imitator, de se ipso loquens, hæc scribebat
 Ob diversas curas, quas nostra servitutis
 cessitas habet, vix mihi paucissima tempora
 gutta stillantur, quas aliis si impenderem,
 contra officium meum mihi facere viderem.
 Narrat de sancto Carolo Giussanus, vitas 8. Ca-
 rolil. 8. c. 10. puod cum quidam suæ Provin-
 ciæ Episcopus illi scripsisset, parum se habe-
 re agere, eo quod Diœcesis sua foret angus-
 ta; misit ad ipsum ad sexaginta millia pallio-
 rum distantem zelosissimus Archi-Episcopus,
 unum Prælatum qui ipsum super ver-
 ba illa reprehenderet, additis simul litteris
 quibus ipsi demonstrabat, quid deberet agere,
 repetitis semper istis verbis, ergo Episcopus
 non habet quod agat? Deplorat vehementer
 Cleri otium S. Laurentius Justini-
 nus; de complanc. Christi perfect. In Clero par-
 tibus
 cissim
 viores
 vate
 omn
 a ter
 deam
 conv
 tilite
 Cleri
 lupta
 as,
 rolus
 cefim
 lique
 tionis
 impe
 diens
 vel in
 dent
 ter,
 an in
 debe
 otio
 nam
 maxi
 strep
 stra a
 Aquil

cissimi reperiantur, qui honestè vivant, ra-
 riores autem, qui pabulum salutis gregibus
 valeant præbere fidelium, idque ideo, quia
 omnes incurii sunt ac vecordes, propriis
 attendentes commodis, diem ac tempus in
 deambulationibus, ac in foro, in circulis ac
 conventionibus novellis audiendis, inu-
 tilitèr consumentes: Nempe Sacerdotum,
 Clericorumque magna pars dedita jacet vo-
 luptatibus, incedunt quotidie per plate-
 as. Ideo prudentissimè ordinavit S. Ca-
 rolus, in *Ant. Eccl. Med.* pag. 170. ut qui Dic-
 cesin suam visitarent, omni exquisita possibi-
 lique diligentia inquirerent, quibus occupa-
 tionibus, aut negotiis Clerici tempus suum
 impenderent, an in nugis, novitatibus au-
 diendis, ludis ac inutilibus evagationibus,
 vel in exercitiis vocationi illorum correspon-
 dentibus: Videant atque inquirent diligen-
 ter, quibus in rebus Clerici tempus insumant,
 an in iis potissimum, qua ab illis agi curarive
 debeant, qui in Dei cultum se dediderunt. Ex
 otio illo sequitur, plurimos Clericos æter-
 nam perdere salutem propter venationem,
 maxime si clamorosa sit, ac magno fiat cum
 strepitu, hæc enim summè à vocatione no-
 stra aliena est, ideoque in quodam Concilio
 Aquileiensi 1. de Vit. & hon. cler. ita dicitur:

Quam

Quam sit modestia clericali indignum, paulo ante Breviarium manibus tractat, eum publicè accipitrem deferre, quiq; cum Angelis laudes Deo persolvebat, eum inter canes latratus venari, & in compositis per strepere vocibus, omnes satis intelligunt.

Verum ex pessima otii radice, plura adhuc pullulant virulenta germina, reliqua omnibus perniciosiora, suntq; lusus alearum ac chartarum, indigni omnino, ac plane indecentes vocationem nostram, à qua nil nisi bonū, ac ædificatorium, imo ipsam probitate normam expectant sæculares, ubi eorum de lufibus illis scripsit S. Cyprianus; *de alea Alea est alveus mali.* S. Antoninus P. I. T. I. c. 2. 6. lanceæ instar calamū suum vibrat contra istud vitium, illudq; vocat compendium & epilogum omnis mali; *Vix est dare actū, in quo concurrant tot mala, quot ex ludo; quot enim in tabillis sunt puncta, tot scelera ex eo procedunt, non gravius altero.* Ludi sunt (quis crederet) sacrificia facta Diabolo. S. Bernardinus 4. Serm. 32. P. I. Prin. è cathedra dixit olim quod dum semel Dæmones Principi suo Lucifero relationem facerent de progressu Hierarchiæ Ecclesiasticæ quoad cultum divinum, & juvamen animarum, ut sese progressibus hisce felicibus opponeret, manda-

vit suis; Quilibet inveniatur diversos ludos, ut
diversimodè possit nobis sacrificari, & deleri
sacrificium Christi. Quam ergo erit indi-
gnum sacrificare vero Deo, eodemque tem-
pore sacrificium offerre Diabolo? *idem ibid.*
Lusores Presbyteros Diaboli, appellat idem
sanctus in eodem loco, jamque dudum ante
ipsum de lusoribus alearum pronuntiaverat
S: Cyprianus: *ibid.* *Qui alea ludit, ad sacrifi-*
cium Zabuli immolantibus poenis auctoris ma-
nus polluit. purifica manum tuam à sacrificiis
Diaboli. Christus apparuit semel S. Petro
Alexandrino scissa laceraque veste, lamen-
tans Arium hæresi sua hanc sibi irrogasse in-
juriam, eo quod per illam divisisset, ac tur-
baller unitatè veræ, catholicæq; fidei, ex quo
clare elucet inconfutilem ejus tunicam figu-
ram fuisse suæ Ecclesiæ: Jam vero, quis igno-
rat, quod milites, de quibus Poeta canit:

*Nulla fides pietasque viris, qui castra
sequuntur,*

Luserint supra illam in monte Calvariæ?
Quot non sunt è Clero, multo pejores
militibus, qui aleæ committunt, ac maximo
cum scandalo, ac præjudicio populi, pro-
stituunt bonū nomen, famā, ac integrā existi-
mationem Ecclesiæ, tam remotè se per alearū
lusum

lusum à Christo elongantes, quanto arctius
 deberent ipsi esse uniti exemplo bonæ con-
 versationis? *Vah alearum lusoribus* (mura-
 tur fulminando illis in illos S. Ephraim T. l. 1.
Var. 101. inf.) *quandoquidem se à corpore,*
sanguine Domini nostri IESU Christi alieno
reddunt: Væ iis, qui tempus penitentiae pro-
dunt in jocis. Haud absimilia huius, prædi-
 cat Seraphinus Senensis Bernardinus 8. Ser. 1.
cap. 3. Aleator dissolutâ perfidia, vero De-
 dorsum obvertit, eligitque pro vero lu-
 numine aleam, consecrande illi totum suum
 amorem, omnes suas cogitationes, lepius
 totum: *Lusor ludum facit Deum suum,*
quod in amore præponit ipsi altissimo Deo,
 modo quo populus Hebræus per multa sa-
 cula veri Dei cultum, ac fidem tenuit
 quam tandem scædè, stultissimèque ruptam
 vitulum, adorando, postquam oriose
 valle montis Sinai, in crapulis ac lusibus tem-
 pus transegisset; *sedit populus manducare et*
bibere, & surrexerunt ludere. Exod. 22.

Quodnam majus potest esse absurdum
 ac inconueniens, quam aleis profanare
 easdem manus, quæ paulò ante per con-
 tactum Sacrosancti Christi corporis, fuerant
 sanctificatæ? *O, quantum utique*
randus est (exclamat S. Antoninus *ibid.*)

manibus suis perdit, quem Dei filius, manibus cruci affixis acquisivit! Nos, præ omnibus aliis viciniore, videmus Redemptoris nostri sacratissimas manus, duris perforatas clavis, merumque stillantes cruorem, ipsaque incruento missæ sacrificio, cum toto ejusdem corpore, tangimus, & non movebit hoc nos, ut manus nostras à tam profano, ac peccaminoso exercitio abstineamus? Ergo manus illæ, quæ paulo ante elevaverant, populoque adorandum exhibuerant corpus Christi, ausu temerario paulo post impendi poterunt ad tractandas, projiciendasque aleas? Ergone lingua illa, quæ paulo ante legerat Evangelium, quæ è sinu Patris aeterni, ac à dextra ipsius, ad proprias manus suas traxerat, unigenitum ejusdem Filium, quæ ipsum unit conjungitque carnî divinissimi sui corporis, intingitque pretiosissimo ejus sanguine, imo quæ & ipsa inæstimabili illo rubricatur ac madescit cruore, illa, illa lingua audebitne prorumpere in verba indigna, scurrilia, obscœna, blasphema, quæ alearum individui socii sunt, ac sodales? Et tamen quot sunt ex Clero, qui omnia hæc nihil curantes, cum sæcularium fece dies, noctesque integras consumunt in tam detestando exercitio, mane autem, aut superfic-

ficientenus, & ob proprium interesse, aut ex mera consuetudine, non abstinēt à celebratione, sed à tabulaluforia transeunt ad altare quasi verò simul essent compatiblea, Antiqui Testamenti, & infame Idolom Dagon.

Plura alia, eaque notabilissima absurda, & inconvenientia producit in Ecclesiasticis, & in illud. Unum assignat S. Antoninus: *Lufores, propter hoc, ut habeant magis tempus negligunt divina.* Quoties, dum vocantur Parochi ad indremis providendum assistendum, occupata inveniuntur perditio hoc aliorum lusu, dumque aut ex affectu lucri, aut ut deperdita reacquirant, aut ut lusu perficiant, aut ne societatem disgustent, officiantve moras nectunt, differuntque administrare sacramenta, cum manifesto perditionis animarum periculo? In praxi ac effectu ipso, non absque gravissimo scandalo non semel id visum est, idque maximè dicitur confessiones excipiendæ sunt ac confessarius ob hujusmodi fuitiles causas veniat tardat, non raro contingit ut bene paratus infirmus, aut loquelam perdit, aut vi morbi oppressus, inconfessus decedat. Deinde, dum deberent intendere, ac vacare iis, quæ necessaria sunt ad annuntiandum verbum Dei, ut rite, ac tuto possent

cipere confessiones, ac solvere, quæ in confessionali ac foro illo, occurrunt dubia, & ut bene possint regere animas, potissimam temporis partem impendunt in tractandis aleis, advigilantes, non animarum sibi commissarum custodiæ, sed propriæ recreationi, aut etiam lucro; hinc sæpius videmus congregari, ac convenire Ecclesiasticos, non pro sacra aliqua, ac erudita conferentia, sed ut aleis iudant aut chartis, exciti ac animati capitulis eorum, aut superioris exemplo, non reputantes esse peccatum seu malum id, quod tam liberè ab illo vident practicari. Optimè dicit supracitatus Florentinus Archi-Episcopus, dum lusibus illis alearum (de Chartis pictis idem est) occultum aliquod attribuit venenum: *Videtur infectivum, cum enim videt quis alium ludere, ubi nihil cogitabat de ludo, inclinatur ad simile.*

Ex hisce nascuntur scandala, præsertim apud sæculares: *scandalizantur illi* (inquit S. Raymundus citatus ab Abulensi Q. 35. in. c. 6. Math.) *qui vident aliquos sic ludentes, potissimè si sint viri alicujus auctoritatis, quos alii debeant sequi in exemplo vivendi: & Abulensis ipse, reddit rationem, cur præ aliis ab hujusmodi lusibus abstinere debeant Ecclesiastici: Quia tota gravitas, & auctoritas illorum sublata est, ita ut subditi non*

R

atten-

attendant ad eos, nisi ad iuvenes; Et ideo
 actus in se parum mali sint, efficiuntur
 increpabiles in istis, propter scandalum sub-
 torum. Ex alio etiam capite crescit sca-
 dalum illud, quia redditus Ecclesiasticos
 quorum superfluum habere deberent pa-
 peres, quibus sumus debitores, tali modo
 consumuntur, cum non ex quo horum pro-
 iudicio, & uniuscuiusque scandalo,
 profanos illos lusus spectat. Hac de causa
 Canones, quam Concilia, singulariter in-
 gilant, seque opponunt isti vitio. S. A-
 toninus lib. 2. *ibid.* citat unum Canonem
 dist. 36. cap. 1. *Episcopus, aut Presbyter,
 Diaconus alea seu ebrietati deserviens,
 desinat, aut certè damnetur.* Similiter etiam
 decrevit S. Carolus: *Act. Eccl. Med. pag. 15.*
*Canonicis Ordinis hominibus ludos, praesertim
 rô alea, ac tesserarum, ac talorum interdic-
 mus; prohibemus etiam globos, qui malis
 ligneis imponuntur; item follis, id est pilae
 joris; nec solum ludere vetamus, sed etiam
 eos ludorum spectatores esse nolumus, aut
 quam ludentem in adibus suis permittere.*
 Nilominus tamen, quantum erat zelus
 tantum etiam erat discretus, Sanctus
 Prælati, ideoque prohibitionem istam

tigavit, ac limitavit sequentibus verbis: *Si valetudinis interdum causa parvâ pilâ, aut alio non indecoro ejusmodi exercitationis genere uti contigerit, nec publicè id faciat, nec pecunia intercedat in ludo, nec quidquam quod facile pecunia estimari possit.*

Excusant se multi, dicentes quod lusus pro recreatione à S. Thoma virtus nominetur, & ab aliis Eutrapeliæ titulo insigniatur; verum advertere debuissent, hæc non esse ita indifferenter tradita, aut edocta pro omnibus, & maximè pro Clericis. Ut lusus sit virtuosus, requirit, ut notat Doctor Angelicus, *ut congruat personæ, tempori, loco, & secundum alias circumstantias debitas ordinetur, ut scilicet sit tempore, & homine dignus.* Ob harum circumstantiarum defectum, gravissime correptus fuit à B. Petro Damiano, *lib. i. Ep. ii.* quidam Florentinus Archi-Episcopus, qui cum B. Cardinale itinere constitutus, dum ad publicum diverfissent hospitium, latrunculis luserat. Exprobrabat ipsi, quod lusu isto contaminasset illam manum, solitam offerre Corpus Christi, linguamque mediatricem inter Deum & populum. Confessus est & alter suum errorem, sponditque emendationem, ut pro pœnitentia tamen à Sancto accepit, ut